


PAMFLET

195



H.

D. C.

Ad



Ty

DE
HISPANORVM
ET ALBANIDVCIS
Tyrannide,

D. GVILIELMI NASSOVII
Principis Aurasionum, &c.

Ad Ordines Populumque Belgarum

LIBERA DENVNCIATIO,

1572. 26. Iunij.




LUGD. BATAV.

Typis Iacobi Marci.

• 1672. XIX.

1672

57 195
26



MEmores monere, viri Belgæ, iam pridem desiit apud vos esse necessarium, siquidem ex calamitates hisce annis per cervices vestras grassatæ sunt, quæ vos haud dubiè neque ratione neque sensu destituerunt: quibus hostem atrocissimum à fidelissimo patrono & salutari vindice distinguendum experiremini. Quam sententiam si quis propitius Deus animis vestris immisisset tunc, cum nos per vniversam Germaniam, contractis multo instructissimis equitum pedumque copiis, vobis pro foribus vestris vsurpandæ libertatis faceremus copiam: Neque nunc deploraretis pulcherrimam patriam, plus quam Phalaricæ tyrannidis atrocitate laceratam, neque ille omnis truculentie antesignanus diutius stetit, quam immanissimorum scelerum persolvisset pœnas. Sed hanc expeditionem nostram exceperunt, non solum alienæ à nostro incõparabili

4 GVLIELMI ARAVSIONIS

rabili beneficio voluntates vestrae,
verum etiam sinistrae interpretatio-
nes, mendacia & calumniae. Scili-
cet enim non aliter tunc ferebant
rerum involucra, nisi ut, qui be-
luinam istam crudelitatem nun-
quam secuturam sperabatis, causam
ad eos solos pertinere arbitraremi-
ni, quibus perditis, vos tamen cum
Republ. & facultatibus vestris stare-
tis salvi & incolumes. Qui fanati-
cus error nisi tunc damnantibus fa-
tis infedisset animis vestris, maluis-
setis haud dubie ad recuperandam
libertatem vestram, extrema adver-
sus talem latronem declarare exem-
pla, quam nos clausis portis, nega-
toq; omni com meatu universa gra-
titudinis significatione frustrare. Et
tamen nobis, o miserrimi atque af-
flictissimi, etiam vobis promissa fal-
lentibus, ne ipse quidem, ut inso-
lentissimus, ita ignavissimus vasta-
tor fidem abrogabit, quin tunc in
promptu mihi fuerit, non minus
imbel-

DENVNCIAT. AD BELGAS 5

imbelles mendacioque exaggeratas
eius copias, vel in obvias quasque
munitiones dissipare, vel castrorum
probrosis cancellis ad inediam &
desperationem concludere, vel
apertis campis reluctantes, atque
cōsternatas animis, profigare, quam
ad Rheni ripam satis multo tempo-
re ex diffitis Germaniæ finibus ex-
pectatum exercitum, invito illo, ac
ne ostentare quidem se auso, in vl-
teriolem Mosæ continentem trans-
ponere: nisi præter omnem expe-
ctationem, incrudescente per Gal-
liam bello, ad sociorum, qui diffi-
tis amplissimi regni oris disclusi col-
ligere sese non poterant, extremam
necessitatem fuisset accelerandum.
Quam festinationem elatissimus po-
pulator, si sibi (quod vobis persua-
sit) pro fuga nostra vsurpandam,
pro sua victoria apud suos celebran-
dam existimavit, cur non etiam
mendacissimis illis triumphis illud
adiecit, quod nulla non illâ asperri-
mâ

6 GVLIELMI ARAVSIONIS
mâ hyeme mundi elementa, nullæ
non cœli iratissimi iniuriæ, ita exer-
citus nostrum attriverunt, vt vel
ipse (qui sibi tanquam victori tan-
toperè plausit) à tergo nos infesta-
re, vel occurrere à fronte Rex Gal-
liæ (quem & illic fatales pestes im-
puerem identidem opprimebant)
sit aggressus? Imò, cur ille suos pe-
riculo subtraxisse satis habens, statim
ad hyberna confluxit? hic missis be-
nevolentissimis legationibus, sub-
ministratisque exercitui meo rebus
necessariis, spacium dedit, quod
dispalatis per periculosa loca Reli-
gionis Confoederatis suffecisse con-
stat ad colligendas eas vires, qui-
bus tam inexpectatum impetum
non solum propulsarunt, verum
etiam pacem istiusmodi artificum
technis identidem violatam, à be-
nignissimo obtinuerunt. Cuius quo-
ta pars ad meum beneficium perti-
neat, qui primum nusquam non pe-
riclitantes, illatis in regnum alie-
num

DENVNCIAT. AD BELGAS. 7

num castris, præstiti incolumes, deinde etiam selectissimis auxiliis fulcivi atque auxi, salutaris amicissimo tandem regno exitus demonstravit. Quando igitur, viri Belgæ, ita rerum vestrarum iniquitas comparata extitit, vt non prius assertorem ac vindicem salutis vestræ è manibus amissum deploraretis, quam illic superata demum omnia mala vos invitarent ad exempla, cumque extrema atrocissimarum iniuriarum catastrophe fateri cogat, pluris vestra omnium (quocunque demum ordine, conditione, genere, loco, religione, conscientia estis) interesse, quam nostra, vt exoticæ, ac plus quam Barbaricæ insolentiæ iugum tandem de cervicibus carissimæ patriæ abrumpatur: excipite quæso læto omine, atque exemplo, restitutam iam tertium pulcherrimo, eidemque vt vicino, ita cognato regno pacem. In quo turbando sanguinolentissimus discordiarum archite-

§ GVLIELMI ARAVSIONIS

chitectus non solum hoc spectavit,
vt vnico hoc tanquam clypeo mu-
niretur per universum orbem Chri-
stianum Antichristi diadema, verum
etiam ipse peregrini furoris sumptu,
suam in capita & fortunas vestras su-
stentaret tyrannidem. Nolite obse-
cro committere, vt divinæ manui,
ad istum modum vobis recuperan-
dæ salutis rationes præmonstranti,
defuisse videamini. Quid enim ex-
horrescitis periculum? quid adhuc
dissimulatis voluntates, aut suppri-
mitis exulceratiores, quam vt sup-
primi velint, iniuriis animos, pu-
gnante pro vobis, vocanteque ad
applausum victoriæ ipso numine?
Maturuit enim (gliscentibus exem-
plis credite) ad ruinam suam iste
tyrannus, devolutus est ad perio-
dum insolentiæ, qua tam inauditis
atque detestabilibus exemplis im-
pulsus sursum ac deorsum omnem
antiquum statum concussit: Cuius
si cursum ac fata non intelligitis,
exitus

DENVNCIAT. AD BELGAS. 9

exitus rerum à constituto mundo
perspicuè docuit, hanc esse omnium
tyrānorum periodum, vt, postquam
omnes scelerum numeros expleve-
runt, nec habent quod flagitiis ad-
dant, tunc sub ingenti mole deli-
ctorum fatiscant, vrgentibusque ne-
fariæ conscientix stimulis, spem om-
nem profligatam dedāt ad poenam,
adeò, vt nec requiem, nec solatium
ab hoc æstu inueniant ullum, nisi vt
sui ipsorum tandem evadant carnifi-
ces. Ad quod præcipitium si non-
dum perventum existimatis, agite,
ostendite vllum vel minimum divi-
ni humanique iuris vestigium, quod
intactū ab illo dicere possitis. Quas
immunitates, privilegia, iudicia non
funditus sustulit? quibus provinciis,
urbibus, agris, cui sanguini vel he-
roico, vel populari pepercit? quid
reliquum fecit, quod non violen-
tissimis exactiōibus decimarum, vi-
cesimarum, centesimarum etiam ad
anetam & mentam vsque, vobis ne
A 5 roga-

IO GVLIELMI ARAYSIONIS

rogatis quidem, expilavit? protervia,
edacitate, gula, rapinis, furtis erra-
tici satellitii exhaustit? libidinibus,
adulteriis, stupris, vi, raptu, incanta-
mentis, venenis corrupit ac foeda-
vit? Vxores vestrae (vobis ne muti-
re quidem ausis) nefandissimis re-
cutitorum amplexibus haeserunt, fi-
liae philtris ad turpissimos impu-
rissimorum scurrarum amores de-
mentatae, pueri probra passi, quo-
rum nomina haecenus ignoravit
vtraque Germania. Qualia si in mi-
litum insolentiam reiiciat, cur mili-
tem habet sine disciplina? cur om-
ne facinus impunitum dissimulat?
cur flagitiosissimum quemque sum-
mo loco habet? cur praeter caeteris cul-
tissimi enitescunt, quibus furta ac
rapinae suppetunt ad splendorem?
quis similem vnquam impuritatem
vel cogitavit? nisi (quod in hac gen-
te iam diu spectatum est) qui Chri-
stianorum pudori & pudicitiae fuit
exprofesso hostis? Sed que ille qua
dis-

DENVNCIAT. AD BELGAS. II

disciplina contineat? ad quod tribu-
nal sistat? quibus legibus reum per-
agat? quibus iudiciis damnet? qui
omnes magistratus redegit in ordi-
nem; qui tribunalia evertit; suffra-
gia comitorum tam in vrbibus,
quam provinciis abrogavit; imme-
ritas civitates, quæque ad eius suc-
cessus non parvum momentum at-
tulerunt, molestissimis præfidiis op-
pressit; nonnullarum splendidissima
domicilia, quorum municipatus ad
Germaniæ sacrosanctum Imperium
pertinebat, in cancellos suorum la-
tronum mutavit; noxam atque in-
nocentiam, sacra ac profana nullo
discrimine habuit. Quæ omnia quo-
rutiora redderet adversus ignaviæ
vestræ posteritatem (quæ tamen ne
ulla vnquam ex ossibus vestris exo-
riatur, publicè fatagit) an non an-
tiquissimæ nobilitatis dominia ac
iurisdictiones abolevit? oppidorum
ac arcium dominos, quorum opera
ad ministeria istius laniens superbi-
fimè

fimè est vsus, inter infimas classes se-
 dentario vulgo æquavit? nonnullos
 etiam inauditos procul omni tribu-
 nalis vestigio furcis affixit? Fuerit
 verò ei commodum, multorum vir-
 tutem vel læsæ maiestatis, vel hære-
 seos arcessere, quibus (Deum im-
 mortalem testor) nihil tam cordi
 fuit, quàm regiam maiestatem con-
 servare, leges, iudicia, patriam tue-
 ri, seditiones atque turbas averte-
 re, conscientias piorum civium ex
 præscripto verbi Dei tranquillitas
 constituere, fontes punire, atque sic
 confirmata Republ. vnumquemque
 in suo ordine ac dignitate indem-
 nem præstare; cur igitur non facit
 hic grassandi finem? quid merue-
 runt ordines Ecclesiastici (quorum
 Camillus videri vult) vt de invete-
 rata eminentia, quæ ante eum sem-
 per illæsa mansit, deiiciantur? opi-
 bus spolientur? communi reatu
 comprehendantur? An hoc est Ca-
 tholicam (quam iactat) Ecclesiam
 defende-

d
 fe
 ti
 tu
 p
 a
 fi
 c
 n
 &
 lu
 n
 e
 q
 d
 q
 p
 d
 tr
 cu
 q
 C
 n
 ha
 na

DENVNCIAT. AD BELGAS. 13

defendere? avitam religionem afferere? hæreses tollere? cum Abbatias, Collegia, Conventus demolitur? templa auro, argento, gemmis, purpura, antiquissimorum Regum ac Principum liberalissimis donariis spoliat? Sacrilegiis ipsis saburratas classes in Hispaniam dimittit? Denique illis præcipuè rebus vim facit, & sacrilegas manus infert, quas nullus vnquam hostis Albanica religione imbutus ausus est tangere? Quam execrabilium iniuriarum Lernam, qua omnes (vt experti estis nullo discrimine) ordines oppressit, si quis iusto animi libramine secum perpendat, credo non hominis esse dicet, ne impij quidem atque extremè infani, sed Mahometicæ alicuius tigridis, quæ non aliud agat, quàm vt universum simul omnium Christianorum sanguinem, nedum nostrum paucorum, forbeat, vnoque haustu ingurgitet. Nam sive divinam agit causam, quod ad violatam attinet

attinet religionem, five regiam,
quod ad lætam rebellionem eius ma-
iestatem, turbatamque seditione
Reipubl. tranquillitatem (quæ duo
capita hæc Tyrannis violentiæ suæ
prætextit) cur extra causæ fines sese
effundit in nihil meritos? cur æraria
expilat? civitatum proventus inter-
vertit? privatas omnium possessio-
nes decurtat? Commercia, pacta ne-
gociatorum, sudores mechanicorum,
obsonia & minima quæque
esculenta decimat? Denique cur
etiam illa bona tanquam integra ad-
dicit fisco, quæ tabulis creditorum
sunt obnoxia, nulla habita cuius-
quam vel syngraphæ vel hypothecæ
ratione? Dicat tandem quos oppu-
gnet, atque ad pœnam persequatur,
quos item defensos servatosq;
velit, qui neminem excipit, ne illos
quidem, à quibus clam submissis in
Hispaniam consiliis accersitus adest,
à quibus cupidissimè receptus, ac
fortissimè adiutus est, sine quorum
ope

DENVNCIAT. AD BELGAS. 15

ope nunquam huc vsque potuisset
progredi. Sint verò adhuc degene-
res animi, qui extremis oppressarum
rerum reliquiis acquiescendum du-
cant, qui obduci hisce vulneribus
longa patientiæ consuetudine cic-
trices sperent, qui successorem hoc
vastatore mitiorem expectent, illi
velim videant, quam inde sibi ima-
ginentur mitigationem, vbi Rege
ab eiusmodi artificibus oppresso, ne
faciali quidem iure arbitri pacis
cum omni observantia missi invio-
lati præstentur. Clementiam præ-
stet? aut ignoscere sciat illa coniu-
ratissimæ Tyrannidis officina, quæ,
quam ne simulare quidem hoc pos-
sit, satis evidenti exemplo pridem
patuit, proposita (si diis placet) ad
malorum omnium solatium veniæ
formula. Quæ postquam instar au-
rei mali excepta fuisset omnium de-
sideriis, quid aliud venata est, quam
vt, quicunque rei adhuc facti non
essent, hi è latebris suis sua ipsi spon-
te in

te in tabulas damnatorum sese dederent? vt quotiescunque respirasset hic carnifex, tum velut de corte protraheret ad lanienam, qui sua sese stultitia sic illaqueassent. Excusantur (si libet) singula verba, nullus illic apex est, qui non in modum illicis atque hami expositus sit, ad inescandos etiam illos, qui nec cogitarint quidem vnquã (quod quidem Tyranno religiosissimum est) de Religione. Profectò nisi extremi solatii punctum inuidisset vobis, saltem nuper Reginam serenissimam Sacratissimi Cæsaris filiam, in parentum ac mariti ditiones delectam, more maiorum obtulisset oculis vestris ad lætitiã, dedisset aditum, fecisset gratiæ alicuius largiendæ (qui mos est) potestatem, supplicibus libellis locum aperuisset: At illam lintribus per Gelriæ obscura littora raptatam, quanta celeritate, non Dominæ, sed captivæ instar, per campestria Brabantiaë traxit?

traxit? ne vel amœnitate avitarum
 regionum, vel splendore urbium ca-
 peretur, vel puellari commiseratio-
 ne preces afflictorum colligeret,
 quas ad pulvinaria Regis mariti re-
 funderet. Qua festinatione tamen
 quam felix explendæ tyrannicæ li-
 bidinis invenit compendium, cum,
 quanto maximo sumptu atque cul-
 tu vobis convocatis tanquam ad Pa-
 negyricum novæ dominæ ac spon-
 sæ, inopinata impudentia ingen-
 tem pecuniæ vim extorsit, ut scilicet
 suo beneficio dotatam, non vestra
 munificentia donatam obtruderet
 Regi: Quid? quod tam periculosè
 ac despectim classe hyberna detru-
 sam etiam contumelia profecutus
 est, cum eius nuptias, quas oport-
 tebat tot regnis esse festas & faustas,
 tristi luctu funeribusq; foedavit. In-
 tellecto enim Montignij Baronis
 uxorem quasi cum patrona depreca-
 tum proficisci, etiam illic prævenit,
 ne vel Regina cuiquam mortalium

B

lætitiam

lætitiã adferret suo coniugio, vel miseræ foeminæ copia fieret (si nihil aliud) saltem extremum valedicendi marito. Quo vel unico facinore cunctis totius orbis populis in promptu est perspicere, Hispanici Papatus, ejusq; conjuratorum monstruosam crudelitatem, qui cum Marchioni Bergensi cubiculario quãdoque Regis, eiusque quasi collactaneo, cicutam porrexissent, Montignium, quod frater Hornensis Comitiss esset, quadriennali carcere excarnificatum penè spectante vxore sustinuerint iugulare. Hoc erat epitalamium scilicet canere Regiis nuptiis, Hoc erat panegyricum celebrare Imperiali puellæ, Germanico sanguini, Regiæ vxori, nepoti, totque modis coniunctis etiam absque connubio. Sic Hispanicus Senatus inquisitorio spiritu accensus ius gentium seruat. Regium iusjurandum præstat sacrosanctum, honorem habet ordinibus inferioris Germaniæ,
qui

DENVNCIAT. AD BELGAS. 19

qui evocante & iubente ipso Rege
eos viros ad eam legationem pro-
truserant. Excutiantur rerum gesta-
rum historiae, respiciantur gentium
omnium mores, perlustrentur mun-
di totius plagae, quae vnquam Scy-
tharum feritas, quae Anthropopha-
gorum fames istiusmodi laniatum
commisit? Sed his iniuriis ope isto-
rum coniuratorum, quos in Hispa-
niis habet per Regis & Reginae ca-
pita, per Procerum cervices, per ci-
vitatum iura, & innocentium ci-
vium iugulos circumferendis, ma-
teriam aliquam suppeditant manda-
ta, quae regiae voluntatis pretextu
iactitat: Illam mihi dicat unde de-
promat superbiam, qua viduam Hor-
nensem territoriis & bonis Imperio
Germanico subiectis, & D. Bato-
burgicum feudis eiusdem Imperii
antiquissimis immeritissime extru-
fos, ne mandati quidem Imperialis
audita Maiest: ad decreta Togato-
rum comitorum restituit? Cur que-

B 2

fo in

so in illos etiam grassatur, quibus neque cum hæresi (quam clamat) neque cum seditione quidquam commune fuit? nisi quod omni generoso sanguini sit infestus? quod pulcherrimis quibusque dominiis & opibus inhiet? Audistis hæc & vidistis, & adhuc ad absolutam immanissimi Tyranni molem quicquam, ut accedat, expectatis? At vos, ô boni, scitote quicquid est, quod ille adhuc conetur (conari autem nihil potest, nisi quod nunc tandem ad extremum provexit incrementum) id, ut in caput & iugulum eius veritatis, in vestra esse potestate, si exempla eorum secuti, qui nostra fidei ope implorata, armatis præfidiis sese munierunt, felici tædio concrenentem servitutis iugo cervicibus vestris callum detruncetis. Sin verò oblatam occasionem, eadem qua ante triennium vel cæcitate, vel ingratitude, negligatis, nihil aliud futurum expectate, quam
ut idem

DENVNCIAT. AD BELGAS 21

ut idem choragus, qui identidem
inter famam discessus sui & adven-
tum successoris suspendit animos
vestros, fabule, quæ ex afflictissima
protasi in hanc] cruentissimam epi-
tasin crevit, imponat catastrophem,
cuius dolor non ad unum aliquod
regale culmen pertingat, sed (quod
nemo unquam Poeta vel in scena
ausus est fingere) ad excidium, quo
reliquiæ omnis dignitatis, honesta-
tis, & libertatis, quæ hactenus om-
nes ordines Belgicos ornârunt, se-
mel evilescant & concidant. Exspe-
ctate inquam, ô multo afflictissimi,
ut omni Religionis mentione (quo-
cumque demum ea nomine tam Ca-
tholicos, quam Hereticos, ut hostes
nostri loquuntur, comprehendit)
deposita, munitis duntaxit paucis
portibus ad decimandas negocia-
tiones vestras, reliquas omnes nobi-
lium dominiorum arces, urbium
portas, propugnacula, muros solo
æquet, instrumentum bellicum (cu-

B 3

jus

jus pretium vix justi alicujus regni
opes æquent) cum reliquis (quod
pridem vidistis) ærariorum & tem-
plorum thesauris in Hispaniam de-
portet , vestigalia vestra & census ,
quibus magistratum vestrorum
dignitas , munitionum impensæ , ci-
vium securitas , pauperum ærumnæ
sustentata sunt , in fiscum & prædam
Marranicæ avaritiæ extorqueat , do-
nec honestissimorum humanissimo-
rumque civium coetus in Nomadum
& Scytharum feritatem exaspere-
tur , Collegiorum dignitas in explo-
ratorias Franciscanorum speculas
degeneret , reliqua excultissimarum
regionum oblectamenta pro Lybi-
cis solitudinibus obsolescant : deni-
que quidquid ubique fuit rerum
privatarum , publicarum , sacrarum ,
profanarum , quidquid operæ , labo-
ris , industriæ , id in æternam con-
flectur prædam , cujus ipse nunc in-
estimabiles primitias secum abradat ,
quod deinde renasciturum sit , id in
singul-

singulos annos (sicut Promethei olim fibræ vultures paverunt) egen-
tissimum quenque & rapacissimum,
qui ex Bethicę mutilatis opilioni-
bus sit successurus, expleat, ditet, or-
net, armet, efferatum reddat in li-
bera liberorum vestrorum colla.
Quod eum moliri tametsi vos jam-
dudum innumeris exemplis specta-
stis atque experti estis, tamen, quò
evidentius cognoscant, maximè,
qui nullas non etiam notissimas in-
jurias ad solatium suę ignavię ac-
commodant, hoc inest illi lenoci-
nio mystici veneni, quo pridem
partim publicè, partim privatim tam
extorquere, quam eblandiri vobis
conatus est, ut acta omnia sua rata
haberetis, quicquid ipse designasset,
id utile & necessarium ad constitu-
tionem Reipub: vestroque consilio
& jussu factum renunciaretis, scisc-
retis, legem esse juberetis. Videtis
ne quantum honorem deferat?
quantam auctoritatem vobis relin-

quat? nimirum, quibus extra hære-
feos, & rebellionis caussam armata
Tyrannide & nomen & res abstulit,
ijs unicam potestatem relinquit qua
ipsi vosmet scelerum omnium tam
in deos, quam in homines damne-
tis reos, ac perdatis. Quod si semel
consecutus esset, tum profecto no-
do vos constrinxisset Herculeo,
quem neque nepotes vestri essent
soluturi unquam plorando, nec si
mitior quisquam ex factione impu-
rissima succederet (ut maximè alie-
nus esset ab ejusmodi atrocitate)
potestatem haberet vel ad latum
unguem recedendi ab ijs legibus,
quas iste draco, non tam suo jussu,
quam vestris suffragijs sancitas &
consecratas reliquisset. O porten-
tosam insolentiam, libidinosissimam
Tyrannidem, nequissimam insultan-
di proterviam, qui afflictissimis &
miserrimè oppressis non solum in-
gemiscendi, plorandi, querendi eri-
pit facultatem, sed ipsos etiam do-
lores

lores ac ploratus, invita vultuum serenitate gaudijs & applausu cogit mentiri. Quis unquam Siculus ita confusus est suis successibus? ut scelera sua pro legibus sancire ausus fuerit, vocatis ad suffragia etiam ipsis spoliatis atque oppressis? Vlciscendis & tollendis adversariis omnes Tyranni imposuerunt furoribus modum, hoc uno fine æstimarunt omnem potentiam. Quin & tunc, cum sævirent, parcere maluissent, si absque metu tueri dominatum licuisset. Nemo sibi perpetuitatem promisit, nemo fortunam, quæ semel favisset iniquitati, speravit hæreditariam fore suis nepotibus. Phalaridem occupata Republ. sævire coegit necessitas, à voluptate sæviendi ita abhorruit, ut suppliciorum architectum captata humanitate incluserit propriæ machinæ. Noluit vim naturæ inferre, ut à calamitatibus & mortibus abessent propriæ pereuntium voces, questus, su-

spira, lamentationes: Iste, cum ma-
 cket regna & populos ad exitium,
 non ab homine vocem taurinam
 exigit, sed (quod multò atrocius est)
 vobis ipsis oppressis celebrandos
 miseriarum & cladum vestrarum
 triumphos obtrudit. Cujus atroci-
 tatis si quis hactenus nullam animo
 suo impressit imaginem, ille tandem
 oculos convertat ad illam nuper in
 arce Antverpiensi erectam statuam,
 illam inquam ita omnibus super-
 bix, arrogantix, furoris, impietatis
 numeris absolutam, ut certo constet
 ad fictionem non solum non suffe-
 cisse in Belgio artifices, sed & per
 Italiam atque Hispaniam quæsitos,
 qui consentaneo impietatis, & blas-
 phemix spiritu inflati atque accen-
 si, unam tandem ideam exprime-
 rent, quæ omnes veterum Salmo-
 neos, Atreos, & Gigantum *Ἰερα-
 χίας* immanitate superaret. Scilicet
 enim stat ille theatraica basi sublimis

EX ARE CAPTIVO (ut iactitat)

con-

c
m
n
f
e
p
n
d
n
l
d
t
t
l
b
A
P
t
p
l
f
b
c
T
&

conflatus , jacent sub pedibus non modo illi , quos optimè de Rege meritos pessimo mortis spectaculo sustulit , verum etiam quidquid vel est , vel fuit reliquæ nobilitatis ac populi , adjacent arma vestra hæcenus libertati asserendæ hostibusque depellendis comparata , ijsdè comminuta, confracta, protrita pedibus, libelli supplicum cum averfis & surdis repudiantur auribus, dextra motus manu compescuntur, pax restituitur, hoc est, omnes suffragiorum, legum, comitiorum, consiliorum libero voces comprimuntur : Mox Α'ΛΕΞΙΚΑΚΟΣ ἦΟ'Σ serenat cœlum, pellit omnem pestiferam exhalationem , ut gramina fiant innoxia pecori, hoc est , ut profligato verbi Dei rore locum inveniat Antichristus , ubi effundat caliginem & nubes perditionis publicæ. Sinistra caduceum tendit , ut intelligatur Tribunitia potestate adesse jus vitæ & necis : Huic subjecta est ara Dei
patrum

patrum nostrorum, quæ ritu Sarra-
cenicæ superstitionis (quæ gens huic
Triumphatori avita est) holocausto
nideat, quo ex impiorum Papparum,
sacrificulorum, monachorum cali-
dis lupanaribus assurgat in coelum
ad foedandam faciem Dei. Ecce
beluam tandem non modo formi-
dabilem, verum etiam voluptate
scelerum gestientem, vestrarumque
calamitatum suavi pruritu insultan-
tem vobis. Quæ cum talis sit, quid
obsecro vel divini, vel humani juris
inconcussum, aut intactum reliquit?
Quis est vel Deorum omnium (ut
ita dicam) vel hominum, qui quid-
quam suum dicere possit, postquam
hujus Lernæ fauces complexæ sunt
omnia? An non semel sine discrimi-
mine quicquid est tam hominum
quam rerum per Belgicam nostram
id velut uno hiatu ad perpetuam
cum servitutem, tum reatum arripit
atque absorbet? Quid dico? an non
una quasi ancipiti plaga detruncat
etiam

DENVNCIAT. AD BELGAS. 29

etiam in posterum materiam omnem sperandi meliora, cum ea vos conditione relinquere conatur, ut ex felicitate istius Tyrannidis successoribus suis stabiliat æternam latrocinandi officinam? eamque vestris communibus sententijs crudelitati velut aram consecratam dedicet? Sin vero Fata criminibus istis diuturnitatem abrumpant, nec sinant vim regnare diu, tum reliquis quidem civibus ope divina, nostrique sanguinis, & fortunarum omnium sumptu fidissimè servatis, vos imprimis, qui magistratum geritis, vel implacabilibus adversariorum vestrorum furoribus obijciat, vel certè ad causam dicendam legitimis judicijs obnoxios relinquat? secumque ad talionis pœnam præcipites trahat?

Et certè quanquam oportebat istius vastationis vos, qui salutis publicæ sacramentum professi estis, ne spectatores quidem existere, nedum actores,

actores, adiutores, & satellites, tamen quamdiu primis tumultibus causa discerni non potuit, & specie puniendæ seditionis, atque hæreseos latere datum fuit Tyrannidi, superfuit excusandæ ignorantia loci aliquis. Postquam verò ille sublata (unde faciendi prætextum sumpsit) seditionis materia, nullo habito personarum, locorum, ac rerum discrimine, universa patriæ commoda, tanquam commissa vertit in servitutem & rapinam, idque nunquam edita regia voluntate, quem obducetis colorem, si id vobis suffragantibus fecisse videbitur? Quo exitiali atramento ne se fatalis sæpia condant, vosque fugiens oblinat atque eludat, in vestra potestate est non solum ut culpam omnem, quam communicatione immitissimarum actionum contraxisse videri possitis, expietis, verum etiam inita nova gratia in posterum omne periculum vitetis. Si deditis urbibus, abiectoque
Tyranno

T
re
tr
li
co
vo
pl
ex
po
fir
ce
m
sto
di
of
m
qu
m
m
fu
ro
cu
ex
qu
pa

Tyranno in nostrum patrocinium
recepti, deinceps de communi pa-
triæ salute sarcienda intenti esse ve-
litis. Quod ut propensius faciatis,
commonent vos jurisjurandi vestri
voces, quo singuli vestris civibus,
plurimi etiam mihi alligati estis,
exempla clarissimarum civitatum,
portuum, fluminum, ostiorum, quæ
sine exemplo (ut videtis) jugum ac-
ceperunt, classesque & præsidia
mea receperunt, ut tutius (ecce præ-
sto adsum cum instructissimis subsi-
dijs nullo præteritæ ingratitude
offendiculo alienatus, ut vel extre-
mi certaminis pignore fidem meam,
quam patriæ, patrimonijs, & in pri-
mis ijs debeo, apud quos magistratu
me hæctenus nunquam abrogato
fungi Rex jussit) liberem. Cuius ab-
rogationis cum ille nunquam se-
cundum nostrates leges mandatum
exhibuerit, nec fidem hæctenus,
quam debeat, ad potestatem usur-
pandam vobis fecerit, sed è diverso
suppo-

suppositicijs Hispanicæ aulæ stationibus populo Belgico exagitando edicta fixerit atque refixerit: Videte obsecro, quanto sanctius sitis eum secuturi, cui meministis plus minus ab hinc sexennio ex formula totius transmarini Regij Imperij curam demandatam, quemque scitis multa præclara tam sua, quam liberorum dominia inter vos possidere, ejusdemque hæreditarium jus esse, Brabantia, & Marchionatus Antverpiensis libertatem tueri: quàm barbararum advenam, qui vobis tanquam hostibus nihil reliquum faciat. Superest igitur ut deseratis Sardapalum effœminatissimum, Phalaridem crudelissimum, tyrannum dijs simul atque hominibus æquè invisum: Denique (ne quid metuatis) pridem Comitij Imperialibus omnium sententiarum consentientibus decretis damnatum. Qui tamen nihil vnquam in quenquam potuit, nisi quem vel discordia fregit, vel
qui

DENVNCIAT. AD BELGAS. 3^b

dui sponte subiecit cervicem. Qui,
quo certius tandem & ipse procum-
beret in fata sua, ecce quo vesaniæ
atque furoris tunc inferbuit, cum
etiam satellites editarum cædium
machinis suppliciorum suorū (quod
nemo unquam fecisse legitur tyran-
nus) inclusos funestissimis exemplis
jugulavit. Quem exitum nemo, qui
tyrannorum norit ingenia, dubitet,
quin etiam vobis omnibus destina-
verit, nisi oblata sanctissima occasio-
ne lubentissimè servari, quam perti-
nacissimè perire malitis. Quam se-
curus sit, quam prorsus nullis nita-
tur viribus, videtis, qui sparsis per
pauculas urbes paucissimorum la-
tronum manipulis, libidinibus &
delicijs altum sese condidit, neque
ad ulla sana consilia convalescere
sustinet. Ad novas copias condu-
cendas, vel illis etiam maximis spo-
lijs, quæ tam ex vestris facultatibus,
quam nostris exuvijs pridem legit,
quam inventurus esset gratiam, ipse

C

fatis

fatis præfagijt, cum Megenses cohortes ignominiose exautoraret, Arenbergenses stipendio fraudatas truncaret, Germanicas decimaret, in quibus quàm nobiles, grandævos atque exercitatos omni emerita per totam Europam militia tribunos, consignata solenniter fide ad nova autoramenta vocatos, gladio percussit, laqueo suspenderit, quadratim discerpserit, audivit & in posterum cavebit tota Germania. Quod ad Hispanica attinet supplementa, quorum subinde inanem, ne dicam ridiculum terrorem, spargit, plures illic homo novus & Iudaica perfidia oriundus (quæ occulta ei in nos odij causa est) inter antiquæ Hispanicæ nobilitatis genuina stemmata reliquit inimicos, quam hîc vel invenit vel fecit. Quod etiam in causa fuit, cur illam fascinato Regi, atque invito Regis filio extortam expeditionem nullus ingenuus miles sit secutus, adè ut in ipsa Hispania nullum
inve-

invenerit exercitum, priusquam vilissimis aliquot Africanorum mancipiorum tyrocinijs Siciliae, Apuliae, atque Insubriae praesidia ad spem deducendarum in nostram patriam coloniarum detruncata utcunque adiungeret, quibus in itinere accessit ea Allobrogum, Alpinorum, & Eburonum colluvies, quae sub iisdem signis mentita exoticum nomen barbarico sono vestrae simplicitati passim imposuit. Eijcite igitur, imò unanimi impetu ad talionem corripite exosum tam apud Hispanos quam Italos & Germanos monstrum, cavete elabatur nequissimum caput utriusque Germaniae triumphis inflatum, ille inquam extremae crudelitatis archetypus, qui jam pridem praeclearissimarum civitatum vestrarum portas, portus, compita omnia cadaveribus civium vestrorum foedavit, qui neque sexui, neque aetati, neque dignitati pepercit, qui liberorum hominum vitam plus

quam pecudum laniena maſtavit,
orbitatem, luſtum, reatum, promi-
ſcuè omnibus domiciliis intulit, ma-
ſtatorum corpora vel in furcas ſu-
ſtulit, vel ad ſepulturam conquiri
vetuit, vel certe omni ſepeliendi
honore, ſolennique comploratu ex-
cluſit. Ego viciffim nunquam vobis
deero, quem videtis vel etiamnum
eo profeciſſe, ut ſi mari fugam ten-
tet, claſſibus meis ſe obſeptum ex-
periatur, ſi Galliam reſpiciat, in mu-
nitiffimarum civitatũ incurrat præ-
fidia, ſin eas vias relegat, quibus in-
greſſus eſt, illac mea caſtra oppoſita
ſentiat. Reddite vos tandem liber-
tati, libertatem Reipublicæ, Rem-
publicam priſtino ornatu excultam,
atque ab iſto luſtu erectam Regi,
qui ſi vel nunquam abſens fuiſſet,
vel Ius gentium legatorum noſtro-
rum libero com meatui conſervaf-
ſet, (quod ei perfidia iſtiusmodi cõ-
ſultorum non licuit,) nunquam ad
hoc rerum omnium noſtrarum ex-
cidium

cidium devenissemus. Quibus cum non aliter convalescere ad salutem licuerit, nisi ut sumptis armis vis vi deturbetur, ne quem ratio nostri consilij fugiat: has esse mihi, nec ullas alias hujus belli causas Deum immortalem, qui mihi justissimæ defensionis dux adest, testor, ut:

Incolumi Regis Maiestate, rescissis omnibus edictis, quibus vis fit conscientijs & legibus, libera fiat amplecti volentibus Prophetarū, Christi & Apostolorum doctrinā, idque ad exemplum Ecclesiarum hæcenus ea doctrina utentium, recusantibus (si quieti esse velint, & fuisse demonstrent) nulla injuria uti, frui suis rebus liceat.

Inquisitionis nomen iu sempiternum dispungatur.

Sophistarum, Monachorum mendicantium, & cum his conjuratorum conatus coerceantur.

A Republica removeantur, qui legibus in eā locum habere non

debent, multò minus, ut armis affligant simplicium animas.

Spoliatis domicilia, res, patrimonia, existimatio, immunitates, privilegia, leges, quibus conservetur libertas, restituantur.

De Republica administranda, comitijs Provincialibus rogetur more maiorum.

Ea res ad Regem ipsum, & Ordines, qui per singulas provincias evocari soleant, pertineat, non secretò agitetur inter homines mercede conductos, cætera, alienos, quorum perfidia & rapacitate ad istiusmodi calamitates deventum est :

Magistratu, militia, provincia abeant, quibus Iura provinciarum, pactaque inaugurandorum Principum obstant.

Ille ipse, qui nullo hæc unquam testimonio Regiæ voluntatis in populo Belgico sustulit, sistatur, ut intra fines nostros causam dicat iuratis legibus & moribus Belgicis, reddat

dat actorum suorum rationem, experiatur judiciorum eventum.

Qui quoniam à proposito recessurus non est, nisi, ut quæ semel abrogata atque antiquata tenet, ea ad extremam vestram perniciem retineat: ut quæ amissa nolitis, mecum vindicetis, vindicetis, tueamini, etiam atque etiam per meam ac vestram fidem, charissimæ patriæ ex Iurisdictioni formula devinctâ, vos obtestor & evoco, ni faciatis, me extra noxam fore, si quid durius admovendum sit, plenissimo modo, quo ad fieri potest, protestor. Sin (quod felix faustumque sit) omen recipiatis, præsto estote, ut primum Christo Deo unico servetori nostro, post Regi legibus juratis acquiescenti, tandem mihi patrono patriæ & libertatis vindici fidem jureturis. Quam si inviolatam præstiteritis, mihi que tam ad religionis, quam etiam legum, ac judiciorum pacem sine cujusquam ordinis injuria

40 GVLIELMI ARAVSIONIS
ria constituendam adiutores sitis,
tum demum expectandum scitote,
ut ante omnia placato numine, red-
dito suæ potestati Rege, constituta
Reipub: tranquillitate, negociatio-
nes vestras liberrimo commeatu per
Germaniam, Angliam, Galliã, Sar-
matiam, à quibus incomparabili re-
rum omnium vestrarum iniuria vos
inhumanissimus vastator abrupit, re-
cuperetis, proculque omni decima-
tionis, direptionis, servitutis injuria
exerceatis. Hæc habui, quæ ante
arma, vobis, qui adhuc in Tyranni
potestate estis, denuntiarem, ne in
posterum cujusquam pertinacia ex
erroris prætextu proferat excusatio-
nem.

Datum, XVI. Iunij. MDLXXII.

IVSTICIA, & PIETAS, *valide sunt*
Principis arces.

Nulla Tyrannorum VIS diuturna manet.

F I N I S.

s
fitis,
tote,
e, red-
tituta
ciatio-
tu per
ā, Sar-
bili re-
ria vos
ipit, re-
ecima-
injuria
æ ante
Tyranni
i, ne in
nacia ex
cusatio-

XII.

alida sunt

na manet.